



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Cap. I. De Peccati natura, division[e], distinctione, & gravitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**



# TRACTATUS

DE

## PECCATIS.

### CAPUT I.

*De Peccati natura, divisione, distinctione, & gravitate.*

Q. I. **Q**uid est Peccatum proprie dictum?

*Resp.* Est Legis divinæ violatio libera, sive actus liberè factus, vel omissus contra Legem Dei.

Nam 1. est *Legis divinæ violatio*, ex S. Ambros. l. de Paradiso c. 8. *Quid est Peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, & cælestium inobedientia præceptorum?* & ex S. August. l. 22. contra Faustum c. 27. *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra Legem Dei æternam.* Ubi sub facto, dicto,

M 2

cto,

cto, concupito comprehenditur omissio: nam nomine actus in moralibus intelligitur etiam omissio, quia hæc habetur ut actio in ordine ad mores & culpam; & omittens, id quod facere tenetur, censetur moraliter facere, contra id, quod tenetur facere. Imò omissio pura libera, si detur, est moraliter, & interpretativè operatio, quatenus est virtuale, & interpretativum libertatis exercitium. Nam si positis omnibus ad volendum, & agendum præ requisitis voluntas abstinet ab omni actu; tunc liberè non vult, liberè non agit, & perinde se habet in æstimatione prudenti, atque in ordine ad imputabilitatem, ac si positivè nollet, positivè vellet non agere: proindeque tunc virtualiter, & interpretativè exercet libertatem suam, virtualiter, & interpretativè volendo non agere. Ratio est, quia omnis, & sola violatio legis divinae est offensa Dei, ideòque peccatum. Porro cum Lex divina naturalis, & positiva præcipiat observationem omnis præcepti humani legitimi, & omnis potestas sit à Deo; qui illud non servat, violat legem divinam, & sic peccat.

2. Est *violatio libera*, vel in se, vel saltem in causa, aut periculo, ita ut non sit ex ulla necessitate intrinseca, ac antecedente, & verè potuerit vitari. Nam Ecclesia damnavit ut hæreticam hanc Jansenii propositionem: *Ad merendum, & demerendum*

*dum in statu natura lapsa non requiritur in homine libertas à necessitate: sed sufficit libertas à coactione.* Ratio est, quia nemo potest esse dignus vituperio, & pœna propter actionem, vel omissionem ei non liberam, sed planè necessariam; ut docet S. August. l. de duabus animabus c. 11. & per se patet. Præterea tenemur ad vitandum peccatum: at *nemo potest ad impossibile obligari.* Reg. 6. Jur. in 6. Hinc illud S. August. l. cit. c. 12. *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summa iniquitatis est, & insania.*

*Dices.* Potest dari peccatum merè Philosophicum, quod scilicet soli rationi non legi divinæ adversetur, nec sit offensa Dei.

*Resp.* Hoc repugnat: quia qui peccat contra rectam rationem, simul, & indivisibiliter peccat contra Legem Dei, & sic Deum offendit: nam dictamen rectæ rationis est intimatio legis divinæ æternæ necessariò prohibentis, quid quid dedecet naturam rationalem, & præcipientis, quid quid est necessarium ad vivendum conformiter, ac decenter naturæ rationali; & aliundè nemo potest ignorare, saltem invincibiliter, quidquid disconvenit naturæ rationali ut rationali, esse prohibitum à Deo supremo authore, ac rectore naturæ rationalis. Quoties enim recta ratio dicit

aliquid disconvenire naturæ rationali, simul saltem confusè dicitur illud idem displicere Supremo Enti, naturæ rationalis Authori; & Rectori, cujus est eam convenienter sapientiæ, ac sanctitati suæ regere. Hinc Alex. VIII. ut erroneam damnavit hanc propos. *Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale est transgressio libera legis divinæ. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aternâ penâ dignum.*

Q. 2. *Quanam excusant à Peccato?*

Resp. Cùm peccatum sit essentialiter liberum, & voluntarium, vel in se, vel in alio; excusat generatim ab eo, quid quid tollit voluntarium & liberum: ut ignorantia invincibilis, quia tollit voluntarium; vel impotentia Physica, quia tollit liberum; aut metus, vel passio antecedens tollens usum rationis, quia utrumque tollit. Quod autem auget, vel minuit liberum, aut voluntarium, cæteris paribus auget, vel minuit peccatum.

Q. 3. *An metus excusat à Peccato?*

Resp. I. Metus levis nunquam excusat à Pec-

Peccato. Quia non tollit voluntarium nec liberum; nec excusat ab observatione ullius legis, cum sit vanus, & lex quælibet obliget saltem cum aliquo incommodo. Hinc regula 144. ff. de regul. Jur. *Vani timoris justa excusatio non est.*

*Resp. II.* Metus gravis nunquam excusat hominem sui compotem in iis, quæ sunt intrinsicè mala, seu prohibita lege naturali. *Inter omnes constat.* Quia ea non desinunt esse mala in quovis periculo, ac vetita; & aliunde metus ille non impedit voluntarium simpliciter, ac liberum. Nul- lum autem peccatum, etsi veniale facere licet ad vitandum quodvis aliud malum: nam quodvis peccatum, etiam veniale, ut- pote offensa Dei Entis Supremi, & in omni perfectione infiniti, est malum gravius quo- vis alio, quod non est peccatum. Dein- de omne peccatum ut peccatum est intrin- secè, & essentialiter illicitum: ergo nun- quam ob ullum bonum, aut malum poena- le potest esse licitum, nam natura, & essen- tia rerum mutari nequit. Unde ad tuen- dam vitam propriam non licet mentiri.

Metus tamen gravis minuit culpam; ex c. *Sacris, de iis, qua vi, &c.* Ibi: *Licet me- tus attenuet culpam, tamen non eam pror- sus excludit:* quia minuit, sed non tollit voluntarium. Nunquam tamen sic cul- pam attenuat, ut eam de mortali faciat ve- nialem in materia gravi, ut patet in iis, qui

metu diræ mortis idolis sacrificarunt: quia nempe relinquit consensum sufficienter liberum, nam eo non obstante actus procedit à voluntate cum cognitione etiam perfecta, & fit ex electione, & absque necessitate physica, ita ut possit non fieri.

*Resp.* III. Metus prudens damni gravis excusat à peccato, in iis, quæ sunt contra legem non obligantem cum gravi damno. Nam excusat ab observatione talis legis. Lex autem humana ordinariè non obligat cum gravi detrimento; nisi charitas, vel bonum commune, vel vitatio scandali, aut contemptus Religionis, potestatisve legitimæ id exigat.

*Q. 4. Quomodo dividitur Peccatum?*

*Resp.* IV. Dividitur præcipuè 1. in Originale, quod in ipsa origine ab Adamo contrahimus; & Personale, quod peccantis voluntate physicè propria committitur 2. In Mortale, & Veniale. 3. In peccatum Commissionis, & Omissionis. 4. In Actuale, & Habituale. 5. In peccata contra Deum, contra proximum, & contra ipsum peccantem, ratione scilicet virtutum, contra quas peccatur. Sunt enim quædam virtutes, quæ habent Deum pro objecto immediato, ut fides, spes, charitas: unde peccata, quæ illis adversantur, sunt speciali modo contra Deum. Aliæ habent pro objecto

jecto proximum, ut justitia, misericordia, dilectio proximi: unde peccata, quæ illis opponuntur, sunt contra proximum. Aliæ demum rectè disponunt hominem erga se ipsum, ut fortitudo, temperantia, &c. Unde peccata iis opposita, sunt speciali modo contra ipsum peccantem. Quamvis omnia peccata generali quadam ratione sint contra Deum, qui illis omnibus offenditur, & contra ipsum peccantem, cui omnia nocent. 6. In peccata ignorantia, infirmitatis, & malitiæ. 7. In septem Capitalia.

*Q. 5. Unde petitur specifica peccatorum distinctio?*

*Not. 1.* Species moralis peccati est specialis malitia, per quam unum peccatum essentialiter differt ab alio. Malitia autem actus est ejus difformitas, ac oppositio cum natura rationali, & lege divina. Unde illa peccata differunt specie, quæ habent disconvenientiam, & oppositionem cum natura rationali, & lege divina notabiliter inter se diversam.

*Not. 2.* Voce objecti hinc intelligitur id totum, in quod voluntas tendit per actum malum, ex hoc enim omni refundi potest malitia in actum ipsum. Unde objectum voluntatis complectitur objectum materiale, seu id, quod vult, objectum forma-



le, seu id, propter quod vult, & circumstantias, in quibus vult, & fit actus. Ex his autem omnibus, & singulis aliqua notabilis diversitas malitiæ potest actui accidere.

*Resp. I.* Ea peccata specie differunt, per quæ violantur præcepta specie moraliter diversa: quia cum peccatum sit transgressio legis, seu præcepti, transgressiones præceptorum specie diversorum, quæ sunt transgressiones specie, & notabiliter diversæ, sunt peccata specie diversa. Præcepta autem specie diversa sunt ea, quæ præcipiunt, aut prohibent actus diversæ speciei moralis, vel actus ejusdem speciei, sed ex diverso motivo proximo. Actus verò diversæ speciei moralis sunt ij, qui habent convenientiam, vel disconvenientiam notabiliter diversam cum natura rationali, & lege divina.

Hinc si per unam, eandemque actionem, vel omissionem violatur multiplex præceptum specie morali diversum; tunc committitur multiplex specie peccatum. Sic 1. eadem percussio Clerici est duplex specie peccatum, unum injustitiæ, & alterum Sacrilegii. Beneficiatus sacro ordine initiatus una omissione horarum duo specie peccata committit, quia violat simul duas virtutes specie diversas, nempe religionem, & justitiam, ex quarum præcepto obligatur ad horas. 3. Qui ex voto,

&

& præcepto Confessarii tenetur jejunare Feriâ sextâ, non jejunans occurrente Vigilia v. g. S. Matthæi, tria specie peccata admittit, unum intemperantiæ, 2. contra præceptum Confessarii ex motivo poenitentiæ, 3. contra Religionem propter votum. Imò peccata, quæ eidem virtuti, sed modo notabiliter diverso opponuntur, sunt specie diversa, nam habent difformitatem notabiliter diversam: sic avaritia, & prodigalitas, quæ liberalitati opponuntur, sunt vitia specie diversa.

*Resp. II.* Distinctio specifica peccatorum rectè etiam petitur ab objecto, fine, & circumstantiis, quæ specialem habent disconvenientiam cum natura rationali, & lege divina. Quia actus voluntatis sumit malitiam moralem in aliqua specie ab objecto, fine, & circumstantiis moralibus: nam actus voluntatis fertur saltem interpretativè in ista omnia, & malus est hoc ipso, quòd feratur etiam interpretativè in aliquid malum, seu disconveniens rectæ rationi, & legi, cum hoc ipso disconveniat naturæ rationali, & legi. Ergo si ista habeant specialem malitiam specie diversam, actus voluntatis habebunt quoque malitiam specie diversam, ideóque specie different. Item actus voluntatis habet disconvenientiam cum natura rationali, & lege divina, ideóque malitiam

mo-

moralem, hoc ipso, quòd velit aliquid malum, vel velit aliquid etiam de se licitum, sed vel ob finem malum, vel in circumstantia mala, seu disconvenienti: nam talis volitio disconvenit naturæ rationali, & prohibetur à Deo. Ergo habet specialem malitiam hoc ipso, quòd velit objectum specialiter malum, vel aliquid ob finem specialiter malum, vel in circumstantia specialiter mala.

Id patet etiam inductione. Nam 1. Actus, quo quis vult furari, sumit à furto malitiam in specie iniustitiæ. 2. Actus, quo quis vult labore, etsi licito, lucrari ad se inebriandum, sumit malitiam intemperantiæ ab hoc fine. 3. Celebratio Missæ in loco vetito, seu indecenti, habet malitiam irreligionis ex circumstantia loci, propter quam ipsa dedecet, & prohibetur. 4. Actus, quo quis vult objectum malum, ob finem malum, in circumstantia mala, sumit ab his tribus malitiam in triplici specie peccati, si hæc sint diversæ malitiæ, quia tunc habet triplicem disconvenientiam, & oppositionem cum natura rationali, & lege divina notabiliter inter se diversam: sic actus, quo quis vult furari in templo, ut fornicetur, habet triplicem malitiam specie diversam, scilicet iniustitiæ, sacrilegii, & luxuriæ.

Q. 6.

Q. 6. Unde petitur distinctio numerica  
Peccatorum?

*Not. 1.* Agitur hîc de multiplicatione Peccatorum non physica, sed morali, & in ordine ad Confessionem, seu ad ferendum salutare, ac rectum iudicium de illis, & de statu peccatoris. 2. Unus, & idem actus, si plures malitias habuerit, est peccatum multiplex moraliter, & in ordine ad Confessionem, in quo actus consideratur non secundum entitatem physicam, sed secundum malitiam. 3. Actus internus voluntatis, & externus alterius potentiae, circa quem prior ille versatur, unum numero peccatum constituunt, v. g. volitio furandi, & ablatio rei alienae: quia actus internus, & externus ab eo imperatus unum eundemque totalem actum moralem constituunt.

*Resp.* Generatim peccata multiplicantur secundum numerum intra eandem speciem, pro numero, seu multitudine objectorum totalium, vel actionum ex se completarum, aut quae interiùs, vel exteriùs consummantur, vel quae inter se non ununtur; item per interruptionem moralem actuum. Nam tunc plures actus non censentur una moraliter actio, & habent plures numero malitias. Sed haec speciatim explicanda sunt.

Ita

Itaque peccata multiplicantur *pro numero objectorum totalium*, ita ut actus malus physicè unus versans circa plura objecta totalia sit moraliter plura numero peccata: quia tunc est multiplex, & numero distincta moraliter malitia in ejusmodi objectis: nam singula objecta habent suam malitiam numero distinctam à malitia aliorum. Ergo est multiplex saltem æquivalenter, & distincta numero moraliter malitia in actu voluntatis physicè uno tendentis in illa objecta: nam tota malitia objecti, & actus externi communicatur actui voluntatis, cum sit volita saltem indirectè, & interpretativè. Præterea sicut unus actus est multiplex specie peccatum, dum habet multiplicem specie malitiam: ita est multiplex numero peccatum, cum habet multiplicem numero malitiam. Hinc qui unico actu vult sex homines occidere, vel re ipsa unica tormenti bellici explosione occidit, sex moraliter peccata committit uno illo actu; & hic unus actus sex homicidiis seorsim patratis æquavalet, etiam in ordine ad obligationem confitendi. Item qui uno actu tribus convitiatur, aut detrahit, triplicis peccati reus est; & hic actus iudicio prudentum, etiam in ratione numeri, æquivalet tribus actibus, per quos detraheretur singulis. In Confessione tamen dicere debet, *uno actu tribus detraxi*, non autem, *ter detraxi*: alioqui signifi-

nificaret tres malitias per tres actus distinctos contraxisse, quod falsum est.

2. Peccata, *qua interiùs consummantur*, ut hæresis, odium, desiderium, delectatio morosa, &c. Multiplicantur per quamcumque cessationem, sive voluntariam, sive naturalem ex somno, vel distractione animi ortam, & illorum repetitionem. Quia singuli actus repetiti sunt per se peccata, & nihil est in quo uniantur, & continuantur ad constituendum unum peccatum. Nam non uniuntur, nec continuantur in actu, objecto, vel effectu externo, ut supponeretur: neque in actu interno, cum inter actus internos intercedat aliqua cessatio; unde ad singulos actus requiritur nova determinatio voluntatis. Ergo sunt plura re ipsa peccata, ergo ut plura confitenda sunt, nam multitudo numerica perinde, ac specifica declaranda est.

Hinc qui actum odii in proximum elicit, & post somnum, vel aliquam distractionem eum renovat, duo peccata odii admittit. Quando autem horum peccatorum numerus iniri nequit, tunc satis est in Confessione moram temporis explicare v. g. perseveravi per horam in delectatione venerea, per hebdomadam in odio &c. Et hos actus interea renovavi toties, vel sæpe, vel rarò; tunc enim declaratur numerus eo modo, quo mortliter fieri potest, & per modum unius confusæ multitudi-

tudinis in tali mora inclusæ, quæ ex communi agendi modo à Confessario aestimatur.

Item peccata, quæ *consummantur in actione externa*, multiplicantur per cessationem totius actûs tum interni, tum externi, & alterius similis repetitionem: quia tunc nil remanet, in quo uniantur, & continentur, & adest nova determinatio voluntatis ad singula peccata, ut dixi de merè internis; nec unum perseverat virtualiter in alio.

At non multiplicantur per cessationem, & repetitionem propositi circa idem objectum, quamdiu efficacitas primi propositi in libero aliquo effectu, vel opere externo perdurat. Quia tunc prior actus voluntatis in illo effectu, vel opere virtualiter perseverat; & sic semper virtualis voluntas continuatur, & durat, unde unum moraliter peccatum ex illis omnibus actibus constituitur. Sic qui ex voluntate occidendi inimicum, manè surgit, gladio se accingit, proficiscitur, quærit illum, & post plures horas repertum invadit, pluries vulnerat, & tandem occidit; quamvis in itinere cogitet de aliis rebus, confabuletur, legat sæpiusque volitionem occidendi renovet, committit unum moraliter peccatum, eo tamen gravius, quò pluries renovavit voluntatem occidendi. Quia internæ illæ volitiones repetitæ censentur una moraliter con-

continua actio humana: nam prior virtua-  
liter in illa serie actuum externorum sub-  
ordinatorum perseverat, ac continuatur.  
Neque series illa censetur moraliter inter-  
rumpi per colloquium, distractionem vo-  
luntariam ad alia, quia istæ actiones ordi-  
nariè intermisceri solent seriei diuturnæ  
actionum. Neque enim qualibet inter-  
ruptio physica tollit unitatem moralem,  
ut patet in comestione, quæ censetur uni-  
ca, licet interrumpatur per lectionem epi-  
stolæ, colloquium, &c.

Aliud esset, si interruptio illius seriei  
esset extraordinaria: nam hæc tollit unita-  
tem moralem actionis, licet prior volun-  
tas non retractetur. Quod contingit,  
cum ex alio fine interrumpitur aliquod  
opus moram, & attentionem talem exi-  
gens, ut ad resumendam postea intermis-  
sam mediorum seriem necesse sit primam  
intentionem renovare, ac requiratur no-  
va deliberatio, & determinatio; ut si ho-  
micida ille longius divertat à via, qua ini-  
micum insequitur, ad conficiendum ali-  
quod negotium superveniens, quo confe-  
cto ad priorem viam revertatur.

3. Si actus externi mali plures physicè  
sint in se completi, & de se non spectent ad  
consummationem unius peccati, vel ope-  
ris, sunt plura numero peccata; quamvis  
ad unum finem ab operante referantur;  
nam non censentur una moraliter actio.

Tom, I,

N

Sic



Sic qui die Natali Christi tres legens continenter Missas, ter communicat in peccato mortali, ter peccat, quamvis tres Missas ad unum finem ordinaret. Sic pollutio, quamvis fiat ex intentione copulæ, semper est peccatum ab ea distinctum: quia ex se non ordinatur ad copulam, imò est contra finem copulæ nempe generationem. Item copula ter patrata cum eadem, & eâdem horâ, tria sunt peccata: quia una copula non facit unum moraliter actum cum alia, sed sunt singulæ actiones completæ, ac totales.

4. Actus externi physicè plures ex se non completi, sed subordinati, si ad eundem actum principalem ordinentur tanquam illius dispositiones, media, inchoationes, sintque cum illo similis malitiæ, ac circa idem objectum, constituunt unum moraliter peccatum cum ipso actu principali. Nam tunc ita uniuntur, ut iudicio prudentum censeantur una actio in genere moris; & in illis actibus censeatur una deliberatio, ac determinatio voluntatis virtualiter, ac moraliter perseverans. Sic ictus, & vulnera ordinata ad homicidium ejusdem consummandum sunt unum totale peccatum cum homicidio. Item tactus, verba, & oscula impudica ordinata ad fornicationem subsequentem faciunt cum ea unum peccatum moraliter, & in ordine ad Confessionem, Unde non est

neceſſe illorum numerum exprimere, niſi generatim, eò quòd multum aggravent peccatum, *quod tanto gravius eſt, quanto plura concurrunt.* ait S. Antonin. 2. p. t. s. c. 1. §. 10.

Si quæ tamen circumſtantiæ extraordinariæ per ſe malæ illis adjungerentur, ſpeciatiim explicandæ ſunt, ut monet Suarez.

Dixi, *ſimilis malitia*: nam ſi media aſſumpta, vel actus habent malitiam ſpecie diverſam à malitia finis, ſeu actûs principalis, ſunt plura ſpecie peccata exprimenda.

Delectationes verò moroſæ, tactus, & verba impudica, quæ ſubſequentur copulam, ſunt peccata inter ſe, & à copula diſtincta. *Ita Suarez Vaſquez, & alii.* Quia ſunt ex ſe inchoationes, ac diſpoſitiones ad novam copulam. Et quia actus ſubſequentes actum principalem, ac conſummatum neque ſunt partes, aut diſpoſitiones, nec proprietates prioris actûs, neque etiam ejus complementum, cum ipſe actus ſit conſummatus, & ex ſe completus; neque in illo expreſſo intelliguntur, cum ei tantum per accidens ex malitia operantis adjungantur.

Quòd ſi tales actus ſubordinati non referantur per intentionem peccantis ad eundem actum principalem, ſunt multiplex peccatum: quia tunc non uniuntur,

nec in æstimatione prudenti censentur una moraliter actio; & ad actum subordinatum, & actum principalem requiritur duplex, etiam moraliter, deliberatio, & determinatio. Sic si Petrus primò voluisset tantum vulnerare Paulum, & postea ex ira fervescente eum occideret, sunt duo peccata speciatim explicanda. Item si Titius oscula, & tactus exercens non intendat copulam, sive hæc postea ob libidinem auctam sequatur, sive non, debet numerum tactuum, & osculorum confiteri. Imò actus sibi subordinati, & ad eundem finem ordinati, sunt plura moraliter peccata, si inter illos intercedat magna mora temporis: quia tunc censentur moraliter interrumpi, nec continuari.

Hoc totum debet cum proportione applicari ad unitatem, vel pluralitatem aliorum peccatorum.

5. Peccata multiplicantur per interruptionem moralem, quæ vel fit per retractationem, etiam virtuales, prioris voluntatis, & postea ejusdem repetitionem. Nam posita retractatione, seu voluntate contraria jam prior voluntas non manet formaliter, nec virtualiter, nec influit in actum postea secutum, ideòque ad novum actum requiritur alia deliberatio, & determinatio: unde voluntas resumpta non potest censi unus moraliter actus cum priore. Vel fit per deliberatam con-  
ver-

versionem ad aliquid impossibile cum priore actu intento; nam hæc est retractatio interpretativa, quæ multiplicat peccata repetita: hoc ipso enim, quòd advertenter vis aliquid cum priore actu impossibile, censeris tum non velle, quod prius volebas.

Item actus voluntatis interrumpitur moraliter, cum neque actu, neque virtute perseverat: quod fit non solum per retractationem, sed etiam per somnum, vel diuturnam applicationem ad aliam rem. Unde tunc ad quemlibet actum requiritur nova deliberatio, & determinatio.

*Not.* Cum hæc tota unitas, & pluralitas sit moralis, æstimari debet ex prudenti iudicio, & usu circa unitatem, vel pluralitatem actionis humanæ, spectatis circumstantiis, & qualitatibus actionum.

*Q. 7. An est multiplex peccatum in eadem actione, vel omissione, ratione plurium præceptorum, quibus statuitur, ex motivo ejusdem virtutis?*

*Resp.* Ex communi est unicum, si hæc præcepta inter se subordinata, aut connexa sint, & idem numero objectum per se spectent ex eodem motivo proximo. Quia tunc hæc præcepta unicam eandem-

que numero obligationem imponunt, sicut eandem numero honestatem intendunt, quando eundem numero actum per se præscribunt. Ergo illorum violatio unam eandemque numero malitiam, ac turpitudinem inducit. Sic usura, etsi quadruplici jure vetita, unicum est peccatum, sicut & violatio ejusdem voti multoties renovati, aut jejunii quatuor temporum Quadragesimæ.

Tamen cum violatur obligatio pluribus titulis ejusdem rationis imposita, tunc peccatum est gravius, quam si esset unicus titulus: quia cum singuli tituli imponant obligationem, plures illam augent, ac proinde aggravant illius violationem. Sic Religiosus sacro ordine insignitus gravius peccat omissione Breviarii, quam alter eo non insignitus.

*Resp. II.* Probabile est multiplex esse numero peccatum, in Confessione declarandum, si præcepta sint inter se disparata, hoc est, nec subordinata, nec connexa inter se, neque eandem numero actionem, vel omissionem per se præscribant. Quia ibi est multiplex numero peccatum, ubi violantur plures obligationes ab invicem numero contradistinctæ, & similes; nam violatio cujuslibet obligationis sic distinctæ est peccatum: & proinde violatio duplicis est duplex peccatum. At ubi violantur plura præcepta disparata, neque eandem

dem numero actionem, vel omissionem per se præscribentia, ibi violantur plures obligationes ab invicem contradistinctæ: nam quodlibet ex hujusmodi præceptis imponit obligationem perfectam, & completam, eamque separabilem ab obligatione alterius præcepti, à qua plerumque, & per se separatur, & respectu cuius se habet per accidens: ideoque plura imponunt plures obligationes contradistinctas. Ergo.

Nec obstat quòd interdum per unum eundemque actum impleri possint: quia hoc fit per accidens: & sicut tunc unicus ille actus habet rationem duplicis observationis, ita ommissio illius habet rationem duplicis transgressionis moraliter loquendo. Sic Festo S. Matthæi incidente in diem Dominicam, unica auditione Missæ duplex præceptum impletur, eâ omisâ duplex erit transgressio. Item Vigilia ejusdem incidente in Sabbathum quatuor temporum sufficet semel jejunare: si autem violetur jejunium, duplex est peccatum; quia tunc violatur duplex præceptum disparatum, nec per se respiciens idem numero objectum: si enim Festum, & Vigilia incideret in alium diem, ut ferè fit, esset obligatio ad duas Missas, & duo jejunia. Et hic videtur esse communis sensus fidelium hæc tanquam duo peccata confitentium, dum ad id advertunt. Doctores au-

rem hoc negantes, opinativè tantum loquuntur, & eorum argumenta probant solum primam responsionem. Saltem tale peccatum est gravius, quam si non esset talis præceptorum concursus: nam pluribus ex causis obligatus ad aliquid, si id omittat, plus peccat, cum plures obligationes, vel unam graviolem violet.

*Q. 8. Unde petitur gravitas Peccatorum?*

*Not.* Gravitas peccati est quantitas, seu mensura malitiæ, per quam peccatum est magis, aut minus disconveniens naturæ rationali, ac legi, & offensivum Dei, ideoque majore, vel minore pœna dignum. Peccatum autem potest esse magis, aut minus grave gravitate ejusdem speciei, aut diversæ: sic furtum sex nummorum est levius homicidiô, & gravius furtô trium nummorum.

*Resp. I.* Gravitas peccati petitur ab objecto, fine, & circumstantiis, prout disconveniunt naturæ rationali, & legi. Nam hæc gravitas æstimanda est ex iis omnibus, & singulis, ex quibus absolute petitur malitia peccatorum: inde enim malitiæ quantitas petitur, unde ipsa malitia; & inde actus est magis malus, unde est simpliciter malus. At malitia actûs sumitur ex objecto, fine, & circumstantiis, prout disconveniunt naturæ rationali, & legi divinæ. Ergo.

Hinc

Hinc 1. Peccatum eò magis, vel minùs grave est, quò vel objectum, vel finis, vel circumstantia ejus magis, vel minùs disconvenit naturæ rationali, ac legi, & quò lex magis, vel minùs obligat. Sic ebrietas gravior est mendaciò officiosò; & furtum eò gravius est, quò quantitas ablata major est, quia magis disconvenit, & magis prohibetur.

2. Cæteris paribus actus habens objectum malum, & finem malum peior est, quàm si esset solùm malus ex alterutro; cum sumat malitiam ab utroque, ideòque majorem habeat. Erit quoque peior, si simul malitiam contrahat ex objecto, fine, & circumstantia. Item malitia cæteris paribus tantò gravior est, quantò actus secundùm plures, vel peiores circumstantias opponitur rationi, & legi: nam sicut malitia, ita & ejus incrementum petitur à circumstantiis moralibus, cum vel debitæ desunt, vel disconvenientes adsunt. Hinc S. Thom. 2. 2. q. 10. a 3. ad 3. ait: *Cæteris paribus graviùs peccat fidelis, quàm infidelis, tum propter notitiam veritatis ex fide: tum propter Sacramenta, quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit.*

3. Peccatum intra eandem speciem magis, vel minùs grave est, quò major, vel minor est ejus intensio, duratio, & quò fit cum majore, vel minore advertentia, liber-



tate, conatu, &c. Quia tunc magis, vel minus disconvenit naturæ rationali, ac legi.

*Resp. II.* Illa peccata cæteris paribus graviora sunt, quæ præstantioribus virtutibus, & actibus harum excellentioribus directè, ac per se opponuntur. Quia, (ut docet S. Thomas,) pessimum est contrarium optimo: optimum autem in moralibus est maxima virtus, & pessimum est gravissimum peccatum. Præterea dignitas virtutis, & gravitas peccati oppositi petuntur ex eodem objecto, ratione cujus directè opponuntur. Quare odium Dei est gravissimum peccatum, utpote directè oppositum præstantissimo charitatis actui.

Porro virtutes præstantiores sunt primò Theologicæ hoc ordine, Caritas, Spes, Fides: deinde Religio, Pœnitentia, quia Deum immediatiùs respiciunt: postea reliquæ morales hoc ordine. Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia: & simili ordine procedunt aliæ virtutes his annexæ.

Malitiæ gravitas petitur etiam à modo, quo actus eidem virtuti opponuntur; nam oppositio contraria pejor est privativâ: sic odium Dei pejus est, quàm omissio amoris præcepti.

Dixi 1. *directè*: Nam etiam minora vitia indirectè opponuntur majori virtuti, à qua prohibentur.

2. *Per se*, seu ex natura sua. Nam quæ præstantiori virtuti tantum

tum ex præcepto positivo opponuntur, non sunt cæteris paribus per se graviora iis, quæ minùs nobili ex natura sua, & Jure naturali opponuntur; cum non sit par obligatio præcepti. Sic homicidium gravius est, quàm laborare die Festo, quamvis hoc Religioni, illud Justitiæ adversetur.

3. *Cæteris paribus* Nam malitia, vel bonitas non solum desumitur ex ratione generica objecti, sed etiam ex multis aliis, ratione quorum potest esse excessus. Quare major, vel minor gravitas unius peccati præ alio definienda est ex complexione eorum omnium, ex quibus augeri, vel minui potest malitia.

Q. 9. *An effectus malus, vel noxius proximo ex peccato secutus imputatur peccanti, & dat peccato novam malitiam?*

Resp. Aff. Si ille effectus fuerit prævisus, vel potuerit, ac debuerit prævideri. Quia tunc est saltem indirectè, & interpretativè volitus, nempe in causa illicitè, ac liberè posita. Quod verum est, etsi voluntas antequam effectus eveniat, retractet causam; quia illa retractatio non facit, ut re ipsa non sit liberè posita causa, neque ut effectus ex illa non sequatur. Et verò effectus illè sequitur ex peccato, ut præterito, & retractatio non facit, ut peccatum

NON

non fuerit pro præterito voluntarium. Hinc ei, qui alterum lethaliter vulneravit, mors læsi post ejus contritionem secuta imputatur, & is fit irregularis ex delicto.

*Q. 10. Quot modis potest quis esse reus peccati alieni, & illud contrahere?*

*Resp.* His nimirum: jussione, suasionem, cooperationem, auxilio, consensu, favore, laudatione seu adulatione, pravâ doctrinâ, exemplo, & silentio. Nam qui uno ex his modis cooperatur peccato alieno, censetur causa moralis illius, etque verè consentit, vel expressè, vel virtualiter, vel interpretativè, & sic illius malitiam, ac reatum contrahit: *Nam digni sunt morte non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Ad Rom. 1.

## CAPUT II.

### *De Peccato Mortali, & Veniali.*

*Q. 1. Quid sunt, & quomodo differunt?*

*Resp.* I. Peccatum mortale est legis divinæ transgressio gravis, & proinde gravis offensa Dei privans amicitiam divinam, & gratiam sanctificantem, quæ est supernaturalis vi-  
ta